Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5026
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png">



aggeus

185

et spes meus erit in medio vestri. Nolite timere: quia hec dicit dominus exercituum. adhuc vnum modicum est: et ego commouebo
c celum et terram et mare et aridam et mouebo omnes gentes: et venient desideratus cunctis gentibus et implebo domum istam gloria: dicit dominus exercituum. meum est argentum et meum est aurum: dicit dominus exercituum. magna erit gloria domus istius nouissime plusquam prime: dicit dominus exercituum. et in loco isto dabo pacem dicit dominus exercituum. In vicesima et quarta nouembris in anno secundo darij regis: factum est verbum domini ad aggeum prophetam dicens. hec dicit
d dominus exercituum. Interroga sacerdotes legem dicens. Si tulerit homo carnem sanctificatam in ora vestimenti sui et tetigerit de summitate eius panem aut pulmentum aut vinum aut oleum aut omnem cibum numquid sanctificabitur. Respondentes autem sacerdotes dixerunt. Non. Et dixit aggeus. Si tetigerit pollutus in anima ex omnibus his numquid contaminabitur. et respondentes sacerdotes. et dixerunt contaminabitur. et respondit aggeus et dixit. Sic populus iste. et sic
e gens ista ante faciem meam dicit dominus: et sic omne opus manuum eorum: et omnia que obtulerint ibi contaminata erunt. Et nunc ponite corda vestra a die hac et sursum antequam poneretur lapis super lapidem in templo domini: cum accederetis ad acerum viginti modiorum et fieret decem: et intraretis ad torcular ut expremeretis quinquaginta lagenas et fiebant viginti et percussi vos vento vrente: et auligine et grandine omnia opera manuum vestrarum: et non fuit in vobis qui reuertereturad me dicit dominus
f Ponite corda vestra ex die ista et in futurum a die vicesima et quarta nouembris: a die qua fundamenta iacta sunt templi domini ponite super cor vestrum. Nunquid iam semen in germine est et adhuc vinea et ficus et malogranatum et lignum olive non floruit. Ex die ista benedicam. Et factum est verbum domini secundo ad aggeum in vicesima et quarta mensis dicens. Loquere ad zorobabel ducem iuda dicens Ego mouebo celum pariter et terram: et subuertam solium regnorum: et conteram fortitudinem regni gentium. Et subuertam quadrigam et ascensores eius: et descendent equi et ascensores eorum: vnus in gladio fratris sui In die illo dicit dominus exercituum assumam te zorobabel filii salathiel serue meus dicit dominus: et ponam te sicut signaculum quia te elegi dicit dominus exercituum:

Incipit zacharias propheta c. primum.

a In mense octauo in anno secundo darij regis: factum est verbum domini ad zacharam filium barachie filij addo prophetam dicens. Iratus est dominus super patres vestros ira nimia. Et dices ad eos. hec dicit dominus exercituum. Conuertimini ad me aut dicit dominus exercituum. et conuertar ad vos dicit dominus exer-